



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1707**

Q. 146. An satisfaciat præcepto Missæ, qui partes illius simul audit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42515**

“ eum satisfacere , qui voluntariè toto Sacro est  
 “ distractus, modò sibi sit præsens, & cum reveren-  
 “ tia externa affistat. Quod probabile esse docet  
 “ Laym. contra Suar. Bonac. & alios. Vid. Kôn. l.c. &  
 “ Lugo n. 26. & 27. Plura de tota hac materia v. supr.  
 “ L. 1. T. 2. c. 3. Dub. 2. 3. & 4.

“ X. Præceptum audiendæ Missæ impletur  
 “ quocunque in loco, sive in Parochiali, aut Cathé-  
 “ drali, sive in Regularium Ecclesia, sive in Orato-  
 “ riis privatis, sive extra Ecclesiam audiatur. Ratio,  
 “ quia Ecclesia tantum auditionem Missæ præcipit,  
 “ non autem locum, ergo quovis loco impletur.  
 “ Tol. L. 9. c. 7. Azor c. 6. Rodriq. Navar. Fill. num. 20;  
 “ Nung. Suar. Kôn. Bonac. D. 4. q. ult. P. 12. n. 4. & plures.  
 “ Quæ doctrina, licet certa satis fit, nihilominus  
 “ quia post omnes suprà citatos Authors  
 “ à quodam moderno, viro alijs docto, in dubium  
 “ vocatur, peculiari Dubio examinanda est,  
 “ ne cui (quia Liber obvius est) scrupulus, au-  
 “ conscientia nascatur erronea.

## A D D E N D A.

508 Q. 146. An satisfaciat Præcepto Missæ, quæ  
 partes illius simul audit. R. 1. Certum est  
 non satisfacere, nam Innocentius XI. damnavit  
 hanc 53. propositionem: Satisfacit Præcepto Ecclesiæ  
 de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, in modo quatuor  
 simul & diversis celebrantibus audit. Propositio illa  
 nunc amisit omnem probabilitatem, licet Busenck  
 relatus n. 607. dixerit esse probabilem.

509 §. 2. Ratio, ob quam propositio illa putabatur  
 probabilis, erat hæc: Unus audiens simul  
 duas Misas potest per hoc satisfacere obligationi  
 audiendi unam ex Præcepto & alteram ex Voto,  
 ergo etiam unus audiens duas simul partes Misæ  
 potest satisfacere Præcepto audiendi unam totam,  
 quia

quia uti se habet totum ad totum , sic se habet pars ad partem, & uti attentio ad unam Missam non impedit attentionem ad alteram, ita attentio ad unam partem non impedit attentionem ad alteram. Hanc rationem recte retorquet Carden. in 2. Crisi diss. 32. n. 36: Motus Solis, qui fit à duodecima ad primam, coëxistit motui horologii, qui fit ab eadem duodecima ad primam, ergo uti illi duo motus, Solis & horologii coëxistunt, ita possunt coëxistere duæ mediæ horæ unius horologii, quia uti se habet totum ad totum, ita pars ad partem , quod patet manifestè esse falsum. Ratio autem, cur in neutro valeat Consequentia, est, quia una Missa, uti etiam una hora, est unum totum successivum, cùm Missa consistat in motu verborum & actionum sibi succedentium ; quamvis autem unum successivum possit coëxistere alteri successivo, adeoque & audiri una Missa cum altera , non potest tamen pars successivi coëxistere alteri parti ejusdem successivi , & ideo non potest audiri una Missa, cujus una pars coëxistat alteri parti ejusdem Missæ, uti non potest persolvi Officium Horarum , si simul audiantur tres diversæ Lectiones à diversis, sed una debet audiri successivè post alteram.

§.3. Quamvis daretur ratio intrinseca probabilis, quod duæ partes Missæ simul auditæ constituere possent unam Missam , tamen nunc certum est per auditionem talium partium non satisficeri Præcepto Missæ , quia hoc Præceptum latum est ab Ecclesia, quæ nunc declaravit præcipi auditio- nem unam successivam partium, Carden. num. 41.

Q. 147. An opinio, quæ dicit satisficeri, si successivè audiatur duæ medietates, sit adhuc probabilis, uti v. g. si quis ad Elevationem unius Missæ veniat in templum, & postea audiat sequentem Missam